

XII. *Ex potestate mediata non rectè colligitur immediata.* Sic v. g. diabolus non habet potestatem immediatam in iudicia hominum practica, & ipsorum voluntatem: quia Scriptura id soli Deo tribuit *Prov. 21. 1.* Interim habet potestatem mediatam in pios & impios. Nimirum potentia Saranæ est sub Dei omnipotentia. Nam diabolus facit, quod potest, permittente Deo: quod potest, non facit, Deo prohibente *Ioh 1. 6. 2.*

XIII. *Contraria contrariis pelluntur.* Itaque verbo Dei, precibus, fide, sobrietate, sanctimoniâ profligare oportet Satanam, spiritum illum impurum. Christus illum debellavit architectonicè: nos debellemus ipsum ministerialiter, juxta illud Chrysostomi: Exhorrescis nomen diaboli, cur non exhorrescis ejus opera?

C A P U T XII.

De primâ hominis integritate.

I. **I** *Mago Dei in primo homine, qua dicitur Inatura, non necessario includit imaginem gratia.* Nam illa est inseparabilis, & consistit in animæ immortalitate, intellectus & voluntatis connexionem, lumine naturæ, & similibus: hæc est separabilis, & consistit